

tionis; at, si colatur Sanctus, qui non est, non erit obiectum cultus, sed potius execrationis. Si dicas, Deum etiam coli in Sanctis: ita est, sed etiam Sancti coluntur & invocantur.

Instr. 1. Ecclesia potest errare in proponendis Reliquiis absque gravi inconvenienti: ergo in proponendis Sanctis. R. N. Conseq. Disparitas est, quod Sanctus sit obiectum directum cultus, cultus autem Reliquiarum directè fertur in Sanctum, qui sit reverè Sanctus.

Instr. 2. Sic Ecclesia proponit aliquam ut Sanctam, si cetera proponit illam ut Virginem; atqui errare potest in qualitate Virginitatis: ergo. R. 1. D. Maj. Sic Ecclesia proponit aliquam ut Sanctam, sicut proponit illam ut Virginem, si ita exprimat, C. Secus, N. Non autem ita exprimit Ecclesia, nisi specialibus miraculis constet de Virginitate; sed communiter proponitur ut Sancta. Verum est quidem, quod, si non constet, non fuisse Virginem, assumatur Officium de Virgine, quia præsumitur Virgo: quod si ita non sit iste error non est tanti momenti, nec majus est inconveniens, quod aliquid indebitum tribuatur alicui vere Sanctæ, quam quod subtrahatur ei debitum, legendo Officium de vidua. 2. Omissis præmissis N. Conseq. Quia longè majus est inconveniens pro tota Ecclesia, quod, quæ non est Sancta, proponatur ut Sancta, quam quod, quæ non est Virgo, proponatur ut Virgo, modo sit reverè Sancta; subsistit enim tunc verum obiectum cultus.

Dico 2. Non videtur esse de fide, quod Ecclesia sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum, consequenter neque quod ab Ecclesia canonizatus sit Sanctus & Beatus. Prob. 1. pars 1. Ex Autore, (Ibid. o.) qui iudicium Ecclesie in Canonizatione Sanctorum ponit medium inter iudicium Ecclesie de rebus fidei & iudicium de factis particularibus; & dicit, non quod sit de fide; sed sit *Piè credendum, quod in his iudiciis Ecclesie errare non possit.* 2. Quamvis sit fide certum, Ecclesiam esse infallibilem in communi Doctrina morum, non est tamè eadem fide certum, Canonizationem Sanctorum pertinere ad communem Doctrinam morum, neque id omnes concedunt: ergo. 3. Nulla extat Ecclesie definitio de sua infallibilitate ut hdei divinæ in Canonizatione Sanctorum, neque id ex ejus praxi colligi potest.

Hinc sequitur 2. pars; si enim non sit de fide, quod Ecclesia sit infallibilis canonizando aliquem: ergo a fortiori neque quod iste canonizatus sit Sanctus, cum aliunde id non sit revelatum neque immediate, ut per se patet, neque mediè in ipsa infallibilitate Ecclesie; cum, ut dictum est, non sit certa de fide.

Dices. S. Th. citatus dicit, quod *Honor, quem Sanctis exhibemus, sit quodam professio fidei, qua Sanctorum gloriam credimus; atqui fides, qua credimus gloriam Sanctorum, est divina: ergo fides, qua credo hunc Sanctum, & illi exhibeo honorem, est divina.* R. N. Conseq. Ex hoc enim quod fides de gloria Sanctorum in communi, quam protestor exhibendo illis honorem, sit divina, quia gloria Sanctorum in communi est revelata, non sequitur, quod fides de isto particulari Canonizato, quam protestor exhibendo illi honorem, sit divina, quia non est revelatum, quod is sit Sanctus. Itaque credimus infallibilitatem Ecclesie in Canonizatione Sanctorum? & hunc, quem canonizat, esse Sanctum & Beatum, non fide divina, neque purè humana & fallibili, sed fide Ecclesiastica infallibili, fundata in assistentia Spiritus S.

Neque dicas, hanc assistentiam Spiritus S. esse ipsam revelationem; aliud enim est assistere alicui, ne erret loquendo, aliud revelare illi, quid loquatur: patet in definitionibus Conciliorum, quibus assistit Spiritus S. ne errent definiendo, & tamèn non ipsis revelat suas definitiones: alioquin Patres forent Scriptores sacri, & definitiones eorum forent Scriptura sacra & verbum Dei, ut jam alibi observavimus.

Hinc inferes, quod, qui negaret aliquem ab Ecclesia canonizatum esse Sanctum & in gloria, non esset hæreticus; sed esset 1. temerarius, quia contradiceret communi Ecclesie sensui in re tunc datissima, & cujus oppositum non habet idoneum fundamentum: *Insolentissima est insanie* inquit Aug. Epist. 118. *disputare, an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit.* 2. Esset scandalosus, quia retraheret fideles a cultu Sanctorum. 3. Impius, quia faceret injuriam Ecclesie, & ipsis Sanctis. 4. Saperet hæresim sectariorum, qui irrident Canonizationes, quas facit Ecclesia, & negant cultum, ac invocationem Sanctorum.

DISSERTATIO IV.

DE SUMMO PONTIFICE.

ARTICULUS I.

De Primatu Sancti Petri.

Suppono 1. Christum ascendentem in cælum non abdicasse omnem potestatem, quæ sibi data est in cælo & in terra, sique remanere caput Ecclesie principale; est enim Sacerdos in æternum, semper vivens ad interpellandum pro nobis, influens in nos chrisinata gratiarum, & potens per semetipsum salvare accedentes ad Deum. Unde non habet in terris Successorem. Successor enim est, qui sic succedit in locum alterius, ut iste alter non habeat amplius auctoritatem, quam prius habet. Suppono 2. Christum, subtrahendo fidelibus suam præsentiam corporalem, non sic sibi suam potestatem retinisse, ut Vicarium sui visibilem in terris pro regimine Ecclesie non reliquerit: Ecclesia enim, cum sit corpus visibile, indiget Rectore, qui in casibus emergentibus videri, adiri, & audiri possit. Quæritur itaque, quem Christus instituit sui Vicarium & caput totius Ecclesie, cum potestate illam regendi? An unum Petrum? An omnes ex æquo Apostolos? Hoc ultimum præterdunt Novatores ex odio in Romanam Ecclesiam: cum enim Pontifex Romanus non habeat aliam jurisdictionem, quam eam, quam habuit Petrus, cujus est Successor, si Petrus nullam habuerit in Apostolos, & ex æquo cum illis sit Ecclesie Præfectus; ita Romanus Pontifex non habet prius jurisdictionis in totam Ecclesiam, sed cum Episcopis, inter quos est, sicut prius inter pares. Circa medium sæculi præteriti prodierunt duo libelli conloquentes Paulum Petrum in regimine Ecclesie & constituentes duo capita, quæ coalescerent in unum. Hos confixit Innocent. X. 24. Januar. 1647. Igitur contra hos omnes

Dico: Petrus, isque solus est institutus a Christo caput visibile totius Ecclesie: sive soli Petro concessus est a Christo

Primatus, non solum honoris & dignitatis, sed potestatis & jurisdictionis in Apostolos & universam Ecclesiam. Prob. 1. ex duplici loco Scripturæ. Primus est Matth. 16. ubi Christus Petro, præ cæteris Apostolis consentienti quod esset Filius Dei, exemplo vices & præmium Confessionis respondens, dicit ipsi: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalent adversus eam. Et tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quibus verbis, sensu obvio acceptis, significatur, primatum jurisdictionis in Ecclesiam conferri Petro sub duplici metaphora, scilicet, fundamenti & clavium; quod enim est in ædificio fundamentum, hoc est in corpore caput, in civitate Rector, Rex in Regno, Paterfamilias in domo; & cui traduntur claves, ipse instituitur Rex, seu Governator civitatis. Subsumo: atqui hæc verba nulli alteri ex Apostolis, quam Petro convenire possunt: ergo. Prob. Min. Nullus præter Petrum confessus fuerat divinitatem Christi, nullus præter ipsum poterat dici *Simon Barjona*, seu filius Jonæ, nullus præter ipsum vocatus est *Cephas*, quod interpretatur Saxum, Petra, seu Rupes: non enim dixit Christus, ut habet versio Latina: *Tu es Petrus*; sed syriacè loquens, *Tu es Cephas*, hoc est, tu es Saxum, seu Petra; & super hoc Saxum, seu hanc Petram, ubi pronomen *hanc* manifestè indicat Petram, de qua prius facta est mentio, quasi diceret: *Tu es Petra*, super quam ædificabo Ecclesiam meam: idè autem latinus Interpres vertit, *Tu es Petrus*, & non, *Tu es Petra*, quia secutus est Codicem Græcum, qui habet *Petros*: græcè verò tam *Petros* quam *Petra* significat lapidem, & visum est Interpreti latino convenientius homini tribuere nomen masculinum *Petrus*, quam fœmineum *Petra*. Ergo his verbis soli Petro con-

cessus est Primatus jurisdictionis in totam Ecclesiam.

Ita etiam hunc locum interpretantur omnes fere Patres, Origenes hom. 5. in Exod. Tertull. de præscript. c. 21. Basilus ad c. 2. Isaie, Nazianzenus orat. 21. Chrysost. hom. 2. de penit. in Ps. 50. Cyrillus Alexandr. l. 2. Joann. c. 12. Epiphanius heresi 59. Cypr. Ep. 40. 57. & 71. Hieron. adversus Pelagian. c. 4. Hilarius c. 29. in Matth. Denique Aug. quem opponunt Sectarii in Ps. 69. *Petrus*, inquit, qui paulò antè eum confessus erat Filium Dei, & in illa Confessione appellatus erat Petra, super quam fabricaretur Ecclesia, &c. Et serm. 29. de Sanctis: *Solus inter Apostolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum.* Confer, quæ dicam in solutione primi argumenti.

Alter locus Evangelii Joann. 21. ubi Christus, quod promiserat Petro Matth. 16. cit. propter excellentem divinitatis confessionem, de facto confert post trinam singularis amoris confessionem: *Simon Joannis diligis me plus hiis? Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Constat 1. hæc verba ut antè, non posse alteri convenire, quam Petro: designatur enim nomine proprio & patris, *Simon Joannis*: tunc ipsum interrogat Christus, ut trina confessio responderet trine negationi: ipsum interrogando excludit cæteros dicens: *Diligis me plus hiis?* idèque ipse Petrus proprio & non aliorum nomine respondit: *Tu scis Domine, quia amo te;* cum aliunde scire non posset, an alii ipsum diligerent. Constat 2. universalem Ecclesiam regendam esse ipsi commissam: non enim committit illi has, aut illas oves, seu agnos, sed indefinitè *oves meas, agnos meos*: omnes autem fideles sunt oves Christi, vel agni; per agnos significatur populus, per oves Pastores. Unde Bernard. l. 2. de consider. c. 8. *Cui*, inquit, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute & indiscriminate totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populus civitatis aut Regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et Eucherius Lugdunensis, vel alter antiquus Episcopus Gallicanus Serm. de Natali Apost. Petri & Pauli: *Prius*, inquit, agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves, pascit filios, pascit & Matres, regit & Subditos & Prælatos; omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves in Ecclesia nihil est. 3. Constat, his verbis Petro summam potestatem in omnem Ecclesiam esse collatam, quia ad officium Pastoris pertinet non solum gregi cibum præbere, sed ipsum ducere, reducere, tueri, tegere, corrigere, &c. *Pasce oves*, inquit Auctor in Cætena, *est credentes in Christo, ne a fide deficient, confortare: terrena subsidia, si necesse est, subditis providere, & exemplari virtutum eum verbo prædicationis impendere, adversariis obistere, errantes subditos corrigere;* atque ita hunc locum exponunt communiter SS. Patres; præter jam citatos, Origenes in c. 6. Ep. Rom. Ambros. l. 10. in Lucam ad c. 24. Gregorius Magnus l. 4. Ep. 32. &c.

Prob. 2. Traditione, quam testantur Patres laudati & Concilium Chalcedonense Act. 3. ubi dicitur de S. Petro: *Qui est petra & crepida Catholice Ecclesie, & rectæ fidei fundamentum.* Patebit adhuc amplius ex dicendis art. seq. Prob. 3. ex prerogativis Petro concessis. 1. Ex nominis mutatione; cum enim antea vocaretur Simon, jussit Christus, ut vocaretur *Cephas*, id est, saxum, petra, vel rupes, super quam fundaret Ecclesiam. 2. Ex eo quod regulariter in Scriptura Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1. primus inter Apostolos recenseatur, non ratione vocationis, aut ætatis; Andreas enim ejus frater fuit prius vocatus; & secundum Epiphani. heresi 51. erat natu major: ergo ratione auctoritatis & primatus. 3. Ex eo quod Scriptura loquatur de Petro, ut de capite; sic Marci 1. *Simon & qui cum illo erant.* Lucæ 8. & 9. *dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Act. 2. *Petrus & indecim.* Ibid. 5. *Petrus & Apostoli.* 4. Primum Concilium in electione S. Matthei convocavit Act. 1. In illo Concilio, de observatione Legalium, primus sententiam dixit.

Prob. 4. Ratione Theologica. (4. *Contr. Gent. c. 76.*) Christus in Ecclesia instituit regimen Monarchicum, in quo unus extat supremus Princeps, qui plena auctoritate rerum summam administrat: ergo non instituit ex æquo omnes Apostolos totius Ecclesie Principes & Rectores, sed unum dumtaxat inter illos. Quis autem iste unus, nisi Petrus, ut ex dictis patet, nec alium assignans Hæretici.

Prob. multipliciter Ant. 1. Ecclesia Daniel 2. comparatur Regno. Cantic. 6. Exercitui ordinato 1. Petr. 3. Navi, Joann. 10. Ovili; atqui hæc omnia ab uno supremo moderatore gubernantur: ergo. 2. (Ibid.) Nulli dubium esse debet, quin Ecclesie regimen sit optimè ordinatum, ut potè per eum dispositum, *Per quem Reges regnant, & legum conditores justa decernunt* Prov. 8.; atqui optimum regimen multitudinis est, ut regatur per unum: ergo. Prob. Min. Ex fine regiminis, qui est pax & unitas subditorum; atqui unius est congruentior causa unitatis & concordie, quam multi; quia unum est per se causa unitatis, multa autem tantum per accidens, quatenus aliquo modo uniantur; manifestum est enim, quod plures non possunt unire & concordare, nisi ipsimet aliquo modo conveniant & uniantur: ergo. 3. (Ibid.) Quamvis Populi distinguantur per diversas Dioceses & Civitates, tamèn, sicut Ecclesia est una, ita oportet esse unum Populum Christianum. Sicut ergo in uno populo speciali unius Ecclesie requiritur unus Episcopus, qui sit totius Populi caput, ita in toto populo Christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesie caput. 4. (Ibid.) Ad unitatem Ecclesie requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant; atqui contingit, oriri difficultates circa ea, quæ sunt fidei; per diversitatem autem sententiarum, quæ a diversis oriri possunt, divideretur Ecclesia, nisi per unius sententiam in unitate conservaretur: ergo requiritur ad unitatem Ecclesie conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesie præsit. 5. (Ibid.) Ecclesia militans est triumphantem derivatur per similitudinem: unde Joannes Apocal. 21. *Vidi Jerusalem descendentem de cælo;* atqui in Ecclesia triumphantem unus præsidet omnibus, qui etiam in toto universo præsidet, scilicet Deus: ergo.

Si quis dicat, in Ecclesia esse unum caput, scilicet Christum. (Ibid.) R. id non sufficere; quia, licet Christus semper Sacramenta ministret & perficiat, juxta illud Joann. 1. *Hic est, qui baptizat;* cum tamèn suam præsentiam corporaliter visibilem subtrahatur esset, constituit Ministros, qui Sacramenta visibilibus ministrarent: ergo similiter oportet, quod aliquem constitueret, qui loco sui universalis Ecclesie curam gereret.

Si reponat: Ad perfectionem regiminis politici non est necesse, quod in universo sit tantum unus Monarcha; ergo similiter in regimine spiritali totius Ecclesie. Itam Deus non præficit ab initio Regem populo suo Israelitico: ergo. R. Ad 1. Disparitas est, quod non sit necesse, in universo esse unum tantum regnum: Ecclesia verò in universo diffusa est unum regnum, quod idè regi debet per unum. 2. Non est necesse, quod totus orbis iisdem legibus regatur. At tota Ecclesia debet idem credere, iisdem Sacramentis uti, & eadem Christi præcepta servare; quæ omnia fieri non possunt, nisi sit unum Ecclesie caput. Ad 2. (1. 2. q. 10. a. 1. ad 2.) Quamvis regnum sit optimum regimen populi, si non corrumpatur; quia tamèn propter magnam potestatem, quæ Regi conceditur, de facili degenerat in Tyrannidem, nisi perfecta sit virtus ejus, cui talis potestas conceditur: Judæi autem crudeles erant, & in avaritiâ proni, per quæ vitia maxime homines in Tyrannidem decidunt; idè Deus a principio Israelitis Regem non instituit cum plena potestate, sed Judicem & Governatorem in eorum custodiam.

Verùm, (Ibid.) quia ad bonitatem regiminis confert, quod populi illud amant, quia sic facilius servatur pax; illud autem amant, cum in eo habent aliquam partem, ut in Aristocratia & Democratia; idè potest dici, quod regimen Ecclesie monarchicum sit aliquo sensu temperatum ex Aristocratia & Democratia; quatenus sub supremo capite plures optimates principantur, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi: Democratia quatenus hujusmodi Principes possunt eligi omnibus: & sic omnes aliquam partem habent in Ecclesie regimine.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Ex c. 16. Matth. laudato nihil erui potest pro Primatu S. Petri: ergo. Prob. Ant. 1. Quia per has particulas, *Et super hanc petram*, non intelligitur S. Petrus, sed Christus ipse, juxta illud 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, & illud ibid. c. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus;* & juxta Aug. qui Tract. ult. in Joann. dicit: *Super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam;* & serm. 13. de verbis Domini: *Tu es ergo Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam: super me ædificabo te, non me super te:* ergo. Prob. 2. idem Ant. Esto, hæc verba ad Petrum aliquo modo referri, non tamèn ad eum



ejus personam, sed ad ejus fidem, seu confessionem, ita ut sensus sit: & super hanc confessionem Petri edificabo Ecclesiam meam. Ita S. Hilarius l. 6. de Trinit. *Super hanc igitur*, inquit, *confessionis petram Ecclesie edificatio est*. Similiter S. Cyrillus Alexandr. l. 4. de Trinit. & Chrysost. hom. 55. in Matth. ergo. Prob. 3. idem Ant. Ita verba, *Tibi dabo claves Regni caelorum*, non referuntur ad personam Petri singulariter, sed ad Ecclesiam, ita ut claves sint collatae Petro nomine Ecclesiae, juxta illud S. Augustini Tract. 50. in Joann. *Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam significavit*: ergo.

R. N. Ant. Ad 1. Probat. N. Ant. Nam 1. ut observavimus, pronomen relativum *Hanc* in his verbis, & *super hanc petram*, denotat petram, de qua prius facta est mentio. De Christo autem non est facta mentio sub nomine petrae, sed sub nomine filii Dei vivi, bene de Petro sub nomine petrae, *Tu es Petrus*, fit sensus involutus & intricatus, scilicet, *Tu es Petrus, & super hanc petram*, id est, *super me, edificabo Ecclesiam meam, & tibi Petro dabo claves Regni caelorum*; quo nihil est intricatus, & a sensu naturali magis alienum. 3. Post confessionem Petri & haec verba, *Beatus es Simon Barjona*, Christus adjecit *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*, tanquam clausulam praecedentium, & ut praemium confessionis Petri, ut patet: ergo ad ipsum referuntur, & non ad Christum. 4. Si ad Christum referrentur, non dixisset edificabo, sed aedifico, quia jam tunc in se aedificaverat Apostolos & Discipulos multos. Ex quibus patet, hunc sensum esse prorsus contortum, a sensu obvio alienum, & ideo nullatenus admittendum. Ad do, quod sit contrarius interpretationi communi SS. Patrum, ut vidimus.

Ad 1. auctoritatem: ex eo, quod loco cit. Apostoli, per petram intelligatur Christus, non sequitur, quod ubique petra ponitur, intelligatur Christus; est enim proprium nominibus metaphoricis, ut secundum diversas circumstantias diverso sensu accipiuntur. Sic aliquando in Scriptura sub nomine leonis Christus intelligitur, non tamen ubicumque ponitur leo, significatur Christus: hic autem per petram non significari Christum, sufficienter probatum est. Ad 2. auctoritatem: Apostolus loquitur ibi de primario & principali fundamento, non de secundario & ministeriali, alias sibi contradiceret, cum Ephes. 2. dicat: *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*.

Inferes: ergo saltem caeteri Apostoli sunt cum Petro fundamenta secundaria Ecclesiae, & sic nihil habemus speciale pro Petro, ex c. 16. Matth. R. D. illatum. Caeteri Apostoli sunt cum Petro fundamenta secundaria Ecclesiae sed diverso jure, C. Eodem jure, N. Itaque caeteri Apostoli sunt & dicuntur fundamenta Ecclesiae, quatenus doctrinam evangelicam sibi revelatam ubique disseminarunt, miracula ediderunt, Spiritum S. contulerunt, Ecclesiam fundarunt, eas rexerunt, Episcopos instituerunt: sed haec praestiterunt ut Apostoli & Delegati jure extraordinario; Petrus autem jure ordinario ut Pastor ordinarius & supremum caput, cui caeteri Apostoli subordinabantur, & ipse illis non subordinabatur: & hoc est quod illi soli, cap. 26. Matth. promittitur, cum illi soli praerogativa coram aliis dicitur: *Et super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*, ut interpretantur communiter SS. Patres, ut huc usque vidimus & videbimus infra. Hinc Hieron. l. 1. contr. Jovin. c. 14. *Licet*, inquit, *super omnes Apostolos ex aequo Ecclesie fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio*. Confer solutionem 4. Object. de S. Cypriano. Ad Aug. Equidem S. Doctor utramque expositionem tradidit, idque ipse agnoscit l. 1. Retract. c. 21. Ubi neutrum alteri praeripit, sed iudicio Lectoris relinquit: *Harum duarum sententiam, inquit, quae sit probabilior, eligat Lector*; dicitque nostram cantari ore multorum in versibus S. Ambrosii; & cum sit longe conformior textui, ut probatum est, eamque communiter tradant SS. Patres, omnino praerenda est.

Si petas, cur Aug. hanc alteram expositionem; ut in instantia, pluribus in locis tradiderit? Respondent quidam, id contigisse ex ignorantia linguae Hebraicae, seu Syriacae. Ratio enim, quam loco citato Retract. adfert S. Doctor, cur haec verba: *Et super hanc Petram* ad Christum & non ad Petrum retulerit, est; quia, inquit, *non est dictum illi (Petro) tu es petra, sed tu es Petrus, petra autem erat Christus*, existimans *Cephas* non significare petram, sed aliquid derivatum a petra, quasi petrinum, ut saxum a saxo; hacque de causa latinum Interpretem verisise,

*Tu es Petrus*, & non, *Tu es Petra*. Et quia Ecclesia super Petram & non super aliquid petrinum erat aedificanda, existimavit S. Aug. per illam Petram non intelligi Petrum, sed Christum, de quo dictum est, *Petra erat Christus*. Si ergo S. Doctor advertisset, *Cephas* nihil aliud significare, quam petram aut saxum, & Christum dixisset: *Tu es Petra, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*, procul dubio expositionem nostram ubique secutus fuisset. Respondet noster Natalis Alexander Dissert. 4. saeculi 1. §. 3. Obj. 1. S. Aug. haec verba: *Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*, retulisse ad Christum, quia contra Donatistas agebat, qui Sacramentorum vim in ministrorum sanctitate collocabant. Unde timens, ne, si Ecclesia in Petro fundata diceretur, homines de sanctitate ministrorum Ecclesiae praesumerent, ac super eos spiritale fundarent aedificium, totam fundamenti rationem ad Christum revocavit. Hoc scrupulo adductum Aug. eam amplexum fuisse interpretationem, constat ex loco in Objectione laudato Sern. 13. De verbis Dom. ubi post verba ibidem recensita, subiungit: *Nam volentes homines aedificari super homines, dicebant: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephas, ipse est Petrus; & alii, qui volebant aedificari super Petrum, sed super Petram: ego autem sum Christi*. Quamobrem addit paulo post laudatus Alexander: illa S. Augustini expositio eodem tantum spectat, ne existimemus, Petrum propria virtute & seorsim a Christo Ecclesiam aedificasse. Christum itaque causam, principium, & praecipuum in aedificatione Ecclesiae fundamentum S. Aug. agnoscit, sed S. Petrum fundamentum esse a Christo secundum praecipui ministerii rationem, minime diligitur. Unde hoc ipso in loco S. Petrum *primatum & praecipuum Apostolorum* vocat, & ejus *Apostolatus Principatum* verbis magnificis commendat. Hic usque laudatus auctor, quibusdam omissis, cujus explanationi favent etiam ultima verba in objectione, *Super me edificabo te non me super te*; quae innuunt, S. Aug. negare tantum S. Petrum esse fundamentum primarium Ecclesiae.

Ad 2. probat. Ant. D. Ant. Haec verba, *super hanc Petram*, &c. referuntur ad confessionem Petri, ut ad causam meritoriam promissionis, C. Ut ad subjectum, cui sit promissio, N. Quod ergo SS. Patres dicunt, haec verba referri ad confessionem Petri, seu super confessionem Petri Ecclesiam aedificari, non sumunt confessionem in abstracto, & seorsim a Petro; sed in concreto pro Petro confite, ita ut confessio sit ratio, propter quam promittitur haec praerogativa, Petrus vero persona cui promittitur. Sic, dum Hieronymus Ep. 61. de eodem Petro loquens dicit, *super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem, non negat corpus Petri vere ambulasse super aquas; sed vult, hoc miraculum non agilitatis corporis Petri, sed ejus fidei esse tribuendum: ita in nostro casu. Unde ipse Hilarius, cujus verba objungitur, apud S. Th. in Catena dicit: *Dignum plane confessio Petri praemium consecuta est*: Et postea: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum!**

Ad 3. probat. Ant. Augustinus dicit, claves esse collatas Petro nomine Ecclesiae, quia illas non accepit ut privata persona, sed ut caput Ecclesiae, & propter ejus utilitatem: quod autem conceditur capiti propter corpus, censetur corpori concessum. Unde ipse Aug. Tract. 124. in Joann. dicit: *Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, Ecclesiae gerebat figurata quadam generalitate personam*. Figurata autem expositio non impedit veritatem historiae. Sic juxta eundem Aug. in Ps. 108. Judas erat figura malorum, sicut Petrus ratione primatus erat figura Ecclesiae. Sicut ergo Judas vere personaliter prodidit Christum, ita Petrus vere personaliter accepit claves.

Inst. Saltem verba Christi ad Petrum, ad omnes Apostolos referri debent: ergo. Prob. Ant. Christus interrogabat omnes: *Vos autem quem me esse dicitis?* & Petrus nomine omnium respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; ergo & ipse Christus respondit Petro & in ipso omnibus aliis, quos interrogaverat: *Beatus es Simon Barjona, &c.* R. N. Ant. Ad Prob. N. Conseq. Quia 1. Christus, respondens confessioni Petri omnimodo significat se Petrum specialiter alloqui; sicut Petrus ratione primatus erat figura Ecclesiae, sicut ergo Judas vere personaliter prodidit Christum, ita Petrus vere personaliter accepit claves.

Inst. Saltem verba Christi ad Petrum, ad omnes Apostolos referri debent: ergo. Prob. Ant. Christus interrogabat omnes: *Vos autem quem me esse dicitis?* & Petrus nomine omnium respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; ergo & ipse Christus respondit Petro & in ipso omnibus aliis, quos interrogaverat: *Beatus es Simon Barjona, &c.* R. N. Ant. Ad Prob. N. Conseq. Quia 1. Christus, respondens confessioni Petri omnimodo significat se Petrum specialiter alloqui; sicut Petrus ratione primatus erat figura Ecclesiae, sicut ergo Judas vere personaliter prodidit Christum, ita Petrus vere personaliter accepit claves.

actu publico? 2. Quamvis Christus omnes interrogaverit quamvis Petrus omnium nomine responderit, non tamen provinciam ab aliis acceperat se respondendi, nec quidquam illi ad ejus responsum concurrerant, cum non caro & sanguis, sed Pater coelestis ipsi revelasset: sed ex proprio fundo, ex proprio merito, ex proprio sibi facto privilegio respondit supplens aliorum defectum: unde ipsi soli, & non aliis assignari debet privilegium responsivus Christi. Enim vero, si Rex belli Duces congregatos de re bellica interroget, & uni aliorum nomine apte respondenti Rex dicat: creo te Mareschallum; Num forte omnes erunt creati Mareschalli? An non ipse solus respondens?

Repones: Christus alibi, scilicet Matth. 18. caeteris Apostolis parem, ac Petro contulit potestatem, cum illis dixit: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligatae & in caelo*, &c.: ergo. R. 1. N. Ant. Potestas enim clavium Matth. 16. tradita Petro, est quae majus & superius ad solam potestatem ligandi & solvendi, quippe quae est tantum actus inaequatus clavium, ut late probat Cijetanus de Primatu summi Pontificis c. 5. & 7. Igitur collatio clavium caeterorum tribuit potestatem faciendi omnia, quae ad regnum caelorum pertinet, & tollendi omnia impedimenta, quae ejus ingressum prohibent: ad hoc autem necessarium est aliquando veritates fidei determinare, hereses dammare, schismata compescere, Concilia convocare, Principes Religionis noxios deterrere, hunc monere, illi jubere, aut prohibere, &c. Haec autem non continentur sub praecisa ratione ligandi & solvendi, quae sunt tantum actus judicales, vel in foro conscientiae. R. 2. Esto per illa verba Matth. 18. *Quaecumque solveritis*, &c. Apostolus parem, ac Petro potestatem esse promissam, non enim tunc fuit collata, cum tunc nondum erant Episcopi, sed in Joann. 20. cum Christus dixit illis: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*, &c. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata*, &c. alio tamen & alio modo Apostolis & Petro promissa & collata est; Apostolis ut delegatis, Petro ut Pastori ordinario; illis dependenter & subordinater Petro, huic independenter & superem. Ecce enim, ut jam observavi, Matth. 16. soli Petro coram aliis dicitur: *Tibi dabo claves*, &c. & Joann. 21. *Pasce oves meas*, idque ob singularem ejus fidem & dilectionem, si nihil praerogativa accepit.

Obj. 2. Neque ex his verbis Joann. 21. *Pasce oves meas; pasce oves meas*, aliquid evinci potest pro primatu Petri: ergo. Prob. Ant. 1. Quod Christus dixit Petro, *Pasce oves meas*, omnibus dicit: ergo. Prob. Ant. 1. Quia ipse Petrus Ep. 1. c. 5. dicit Episcopis: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*: & Act. 20. Paulus dicit: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. 2. Quia Aug. l. 6. de Agone Christiano c. 30. cum ei, inquit, Petro scilicet, dicitur, *ad omnes dicitur: amas me? pasce oves meas*: ergo. R. N. Ant. ad probat. D. Ant. Quod Christus Petro dixit: *Pasce oves meas*, omnibus dicit, quantum ad gregem determinatum, Transeat: Quantum ad omnes generaliter, sicut dicitur est Petro, N. Unde ipse Petrus in Ep. non dicit simpliciter, *Pascite gregem*, sed *pascite gregem, qui in vobis est*, id est, gregem particularem vobis commissum: & hoc sensu etiam intelligendus est Aug. nisi cum aliis sic intelligas: *dicitur ad omnes*, id est, ad omnes Petri Successores, non ad omnes Apostolos. Caeterum constat de mente Aug. qui l. de Pastoribus c. 13. dicit: *Multi erant Apostoli, & uni dicitur: pasce oves meas*.

Obj. 3. plura ex Scripturis: 1. Christus Matth. 28. & Joann. 20. aequaliter mittit omnes Apostolos, & omnibus pariter dicit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos, euntes ergo docete omnes gentes*, &c. 2. Luc. 22. Apostolos de primatu contententes redarguit; si autem Petro fuisset collatus primatus, de illo non fuisset contentio, & Christus non sic increpatus inuenens nullum esse inter eos altero majorem, sed Petrum indicasset. 3. Act. 8. Petrus missus fuit ab Apostolis. Non est autem Superioris mitti ab inferioribus. 4. Non legitur, Petrum ullum actum jurisdictionis exercuisse in Apostolos. 5. Diu nominantur Apostoli, Petrus non semper ponitur primo loco; sic Ep. Galat. 2. *Jacobus & Cephas, & Joannes*. 1. Cor. 9. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et caeteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas*. Joann. 1. *Erant autem Philippus a Bethsaida Civitate Andree et Petri*: ergo.

R. Ad 1. ex omissione Apostolorum sequi, eos pares fuisse Petro in ratione Apostolatus, non in ratione officii Pastoralis. Patet ex praecedentibus. Ad 2. Christus redarguit Apostolos contententes de primatu temporalis dominii. *Theol. Billuart. Secunda Secunda.*

nationis, & ex ambitione quaesito, ut patet ex verbis subjunctis, *Reges gentium dominantur eorum*, scilicet cum saeculari factu, intendentes propriam gloriam & propriam utilitatem magis quam bonum commune; *vos autem non sic*. Porro Petrus non quaesierat primatum ex ambitione, & erat primatus spiritualis, quem nondum satis intelligebant Apostoli, praesertim cum tunc nondum esset ipsi collatus, sed tantum promissus. Ad 3. Apostoli miserunt Petrum non imperio, sed consilio; non jubendo, sed consulendo & suadendo: sicut Capitula quandoque mittunt suos praepositos, imo Regis consilium Regem pro rerum gerendarum gravitate & exigentia. Ad 4. L. N. Ant. Nam S. Petrus convocavit Apostolos in electione S. Matthiae, & primus dixit sententiam in Concilio de observatione legalium. Insuper non omnia, quae fecit Petrus, scripta sunt. 2. Dato Ant. N. Conseq. tum quia, cum Apostoli a Spiritu S. ducti optime se gererent, non erat opus, quod Petrus in eos suam exerceret jurisdictionem: tum quia ab actu ad potentiam non valet argumentum negativum. Ad 5. 1. N. Conseq. Quia, licet non semper Petrus ponatur primo loco, saepius tamen ponitur ex probat. Conclusionis. 2. Non obstant, quae opponuntur. In 1. textu Jacobus ponitur primo loco; quia, quae ibi narrantur, peracta erant Hierosolymis, ubi Jacobus erat Episcopus; secus in aliis: sic idem Apostolus eadem ep. ad Galat. 1. refert, se post annos tres ascendisse Hierosolymam videre Petrum; non dicit Jacobum, quamvis tunc esset Hierosolymorum Episcopus. Et ideo Ambrosius ad haec verba: *Dignum erat, inquit, ut videret Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Saluator curam Ecclesiarum*. Et Hieron. ibid. venit Paulus videre Petrum, non dicendi studio, sed honoris prioris Apostolo deferendi. Item Chrysost. Hom. 37. in Joann. *Quia os Apostolorum Petrus erat, princeps & vertex ipsius caeteris, propterea Paulus ascendit cum videre praerogativa. Secundus textus non nocet nobis, sed potius faveat; arguit enim ibi Paulus a majore ad minus, dicit: si Apostoli, & quod plus est, Cephas, circumducunt mulierem sororem, quae temporalium curam gerat, cur non mihi liceat? In 3. textu agitur de levi facti historico, non pertinente illo modo Apostolatum, nempe ex qua civitate erat Philippus: in narratione autem historica non attenditur scrupulose ad dignitatem.*

Obj. 4. Ex partibus: 1. S. Clemens l. 1. dispositionum apud Euseb. l. 2. Hist. c. 1. dicit: *Petrus, Jacobus & Joannes post ascensionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus penes prelati, tamen non sibi vindicabant Primatus gloriam; sed Jacobum, qui dicebatur justus, Apostolorum Episcopum statuerunt*. 2. Hesychius Hierosolym. Presbyter in oratione in Jacobum fratrem Domini vocat Jacobum Apostolorum caput, & in capitibus verticem, eique tribuit Primatum in Concil. Hierosolym. 3. S. Cyprianus l. 2. de unitate Ecclesiae dicit: *Hoc erant utique caeteri Apostoli, quod fuit & Petrus, puri consortio praediti & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficitur, & Primatus Petro datur, ut Ecclesia una mostreretur*. 4. S. Ambrosius l. de Incarnat. c. 4. dicit: *Hic (S. Petrus) ubi auditus: Vos autem quem me esse dicitis? loci non immemor sui, primatum egit, primatum confessionis utique, non honoris; primatum fidei, non ordinis*: ergo.

R. ad S. Clementem, juxta communem Eruditorum opinionem; ejus textum apud Eusebium esse interpolatum; quamvis enim sic legatur in codice Basileensi, attamen in codice Coloniensi & aliis codicibus, quos vidit & contulit Valesius, non legitur *Primatus*; nec *Apostolorum*, sed *Hierosolymorum Episcopum*. Similiter apud Nicephorum l. 2. c. 3. sic legitur: *Petrus et Jacobus & Joannes, quos Dominus praecipuo dignatus fuerat honore post Ascensionem ejus, gloriam non affectarunt, sed Jacobum justum Hierosolymorum Episcopum elegerunt*. Ad Hesychium; ibi agit Oratorem, non Sacrae Scripturae interpretem; ideo verba ejus accipienda sunt hyperbolice dicta, siquidem ipse in Oratione in S. Andream apud Photium in Bibliotheca cod. 269. dicit de Petro: *Tu vocaberis Cephas, ante confessionem merces, antequam praedicares coronam acciperis*. Nec latebat hunc auctorem, saeculo 5. aut 6. quo floruit, Episcopum Hierosolymitanum inter Patriarchas ultimum locum habere.

Ad S. Cyprianum, D. dicit caeteros Apostolos fuisse pares Petro consortio honoris & potestatis in ratione Apostolatus, C. In ratione Episcopatus, seu officii pastoralis, N. Vel cum aliis: fuerunt pares quoad amplitudinem rerum gerendarum, Transeat: Quoad modum agendi, N. Itaque quoad auctoritatem Apostolorum fuerunt caeteri Apostoli pares Petro, quia poterant ubique gentium predicare, Sacramenta ministrare, Spiritum S. impertrari, miracula edere,



libros sacros scribere, fundare Ecclesias; leges condere & Episcopos creare, sed ut delegati & jure extraordinario atque S. Petro subordinati: Petrus autem hac poterat ut Pastor ordinarius, jure suo ordinario, aliis Apostolis non subordinatus, ita ut ipse eorum legibus non adstringeretur, cum ipsi legibus Petri tenerentur, si quas tulisset pro sedando schismate, heresi comprehendenda, vel aliter pro communi Ecclesia bono; eo fere modo, ac si Papa mitteret Legatum ad Indos Orientales cum plena potestate faciendi omnia, quae videbuntur necessaria, vel utilia his missionibus, ipse posset, quod Papa potest, sed diverso jure; ille ut delegatus & jure extraordinario, Papa ut Pastor Ordinarius & jure ordinario. Hanc esse mentem Cypriani, indicant ipsa verba objecta: *sed*, inquit, *exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut Ecclesia una ministretur.* Habet ergo Petrus Primatum pro servanda unitate Ecclesiae; quae servari non posset, si non esset Primatus auctoritatis & potestatis ad sedandas dissensiones, schismata tollenda, & alia mala, quae Ecclesiae unitatem laedere possent, removenda. Item eodem l. 2. de unit. Ecclesiae, aperte pronuntiat, haec Christi verba, *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*; referri personaliter ad Petrum, & *capere unum Petrum aedificabo Ecclesiam.* Itaque in tribus potestas Petri praecellit potestati ceterorum Apostolorum: 1. Quod esset in Petro tanquam in Pastore ordinario ad suos successores transmittenda; in Apostolis autem esset ut in delegatis, quatenus necessaria erat exercendo Apostolatui in universo modo; nec ob locorum distantiam facile poterant in casibus emergentibus Petrum convenire. 2. Quod potestas Petri se extendere supra ceteros Apostolos, non potestas Apostolorum supra Petrum. Quod Petrus poterat ferre leges generales pro tota Ecclesia, Apostoli autem particulares pro Ecclesiis, quas fundabant.

Ad S. Ambrosium, in verbis cit. S. Doct. respexit tantum ad illam celebrem confessionem, qua praeter ceteris divinitatem Christi confessus est, ut patet ex primis verbis Instantiae: *Ubi dicitur: vos autem quem me esse dicitis: in qua quidem confessione non egit primatum honoris & ordinis; sed non sequitur, quod non obtinuerit, alibi non egerit.*

Obj. 5. Sane inter Petrum & Paulum videtur fuisse omnimoda aequalitas Primatus: ergo. Prob. Ant. Apostolus Galat. 2. v. 5. dicit, *se neque ad horam cessasse subjectionem: v. 7. quod sibi sit creditum Evangelium praepitit, sicut & Petro circumcissionis; id est, quod sicut Petrus erat institutus Apostolus Judaeorum, ita ipse Paulus esset institutus Apostolus Gentium; v. 9. quod Jacobus, Cephas, & Joannes... dexteram dederint ipsi & Barnabae societatis: v. 11. quod Petro restiterit in faciem; quod non auderet facere, nisi se non impari sentiret, ut dicitur c. Paulus 2. qu. 27. ergo. R. N. Ant. Praeter enim probationes conclusionis, quae militant de Paulo, sicut de ceteris Apostolis, Innocentius X. ut jam Jani 24. Januarii 1647. hanc propositionem: *S. Petrus & S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes, qui unum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiae catholice corriphe summa inter se unitate conjuncti; vel sunt gemini Ecclesiae vertex, qui in unum divinisimè cohaerent; vel sunt duo Ecclesiae summi pastores, ac praesides, qui unum caput constituunt:* ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum & S. Paulum, sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema & regimine universalis Ecclesiae, haereticam censuit & declaravit.*

Ad 1. probationem. Non de Petro ibi loquitur Paulus, sed de falsis fratribus, de quibus versu precedenti, qui volebant, eum, & quos docebat, adigere ad observantiam legalium. Ad 2. Haec partitio inter Petrum & Paulum erat quoad praedicationem & Apostolatuum tantum, sic ut initio Petrus curam Judaeorum gereret, Paulus Gentium; quia tunc alio modo erat agendum cum Judaeis, qui observabant legem, & alio cum Gentibus, qui non observabant; non vero quoad officium pastorale & potestatem. Ita Hieron. in cap. 2. ad Galatas. Neque ita fixa fuit haec partitio, quin & Petrus Gentibus, & Paulus Judaeis praedicaverit. Ad 3. *(In Comm. super hunc locum.)* sensus ejus non est, quod Jacobus, Cephas, & Joannes dederint Paulo locum honoris, & eum agnoverint superiores; alioquin idem dicendum foret de Barnaba; sed sensus est, quod junctis invicem manibus in signum societatis & unionis admiserint, quod Petrus praedicaret Judaeis, Paulus & Barnabas Gentibus. Ad 4. Nihil inde sequitur; licet enim inferiori resistere Superiori erranti cum aliorum scandalo; & talis erat error Petri, non in doctrina, sed in

conversazione, ut alibi explicitimus. Ad textum Juris; Sylvius dicit, in quibusdam exemplaribus citari ex Hieron. in aliis ex Aug. & in neutro inventi. Ceterum posset explari de paritate in Apostolato, non in jurisdictione.

Inst. 1. ex SS. Patribus. S. Epiphanius haeresi 17. dicit: *Romae primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt.* S. Cyrillus Jerosolym. Catech. 6. illuminat. tit. 6. de haeresi dicit, Petrum & Paulum esse *capita Ecclesiae.* S. Leo Serm. 1. de Natali Apost. vocat eo Romanæ urbis Patres, ac Pastores. S. Greg. 1. 1. Dialog. c. 12. Paulus, inquit, *Apostolus, Petro Apostolorum primo frater.* B. Petrus Damianus Opusc. 53. cap. 4. dicit, *Paulum praesidere omnibus Ecclesiis ad instar Christi: ergo. R. his omnibus nihil aliud significari, quam quod Paulus cum Petro fundaverit Ecclesiam Romanam; quod fuerit Petro Coadjutor in regimine illius Ecclesiae; & quod in ea tanquam extraordinarius munus Episcopale de consensu Petri exercuerit.* Unde S. Epiphanius dicit, Paulum fuisse Episcopum Romæ; quia, ut dictum est, fuit Petri Coadjutor in illius fundatione & regimine, in eaque munus Episcopale de consensu Petri exercuit. Secundum Jura autem, eadem est Cathedra Episcopi & Coadjutoris, quia eadem est utriusque auctoritas. ad S. Cyrillum: Natalis Alexander Dissert. 4. in 1. saeculum dicit Cyrillum vocasse quidem Petrum & Paulum *Prelatos & Protastas*, nusquam vero *Capita Ecclesiae* nuncupasse. Imo cum de S. Petro seorsim loquitur Cyrillus Catech. 11. ipsum vocat non Protastam tantum, sed Protastam, id est, primum praesidem & praefectum Apostolici cœtus. Aliunde posset intelligi; quod sit caput Ecclesiae cum Petro ratione Apostolatû, & quia fuit illi Coadjutor, non ratione potestatis ordinariæ. Ad S. Leonem: Verè Petrus & Paulus sunt Pastores & Patres Romanæ urbis, quia Romanos in fide genuerunt, & eos sana doctrina paverunt, non verò quia aequalem potestatem habuerunt, cum ibid. S. Leo dicat, *Romam per Beati Petri sedem caput orbis effectam;* non dicit, *per B. Pauli sedem;* quod non omisit, si parem in utroque auctoritatem agnovisset. Ad S. Gregorium: Nihil colligi potest ex eo, quod dicit Paulum Fratrem Petri in Principatu Apostolico: nam summus Pontifex appellat Episcopos fratres, quibus tamen potestatem aequalem suæ non tribuit. Sunt & Regis fratres, qui non regnant cum illo. Est ergo Paulus frater Petri, sed natu & auctoritate minor: seu, si vis cum aliis, est frater & aequalis in Principatu Apostolico, ut dicit Gregorius, non in Principatu pastoralis. Ad B. Petrum Damianum: Dicit, Paulum videri omnibus Ecclesiis praesidere; tunc quia, ut dicit ipse S. Doctor, *Nullo specialiter tenet Cathedram,* sicutque Romana non est ipsi assignanda; tunc ratione praedicationis, quia *In omnibus fidei semen sparsit,* ut dicit iterum idem Damianus, non verò ratione auctoritatis ordinariæ.

Inst. 2. Iuxta usum Ecclesiae: 1. Summi Pontifices se dicunt Successores Petri & Pauli. 2. In convocatione Conciliorum & aliis utuntur his verbis: *Auctoritate Apostolorum Petri & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur.* 3. In Diplomatum Pontificiorum sigillis effigies SS. Petri & Pauli exprimi solent. 4. Et in eis quandoque Petrus, quandoque Paulus dexteram tenet, ut perfecta inter utramque aequalitas designetur: ergo. R. N. Conseq. Ad 1. Pontifices se dicunt Successores Petri & Pauli, quia Paulus cum Petro fundavit & rexit Ecclesiam Romanam tanquam ejus coadjutor; & cum, ut dixi, sit eadem Cathedra, & eadem auctoritas Pastoris et Coadjutoris, utriusque Pontifices Romani se dicunt Successores. Ad 2. Propter eandem rationem, in convocatione Conciliorum et aliis, interponunt auctoritatem Petri et Pauli, item & ratione patrocinii. Unde quidam dixerunt, *Et B. Virginis;* & alii, *& omnium Sanctorum.* Ad 3. propter easdem rationes exprimitur in sigillis Diplomatum effigies Petri & Pauli: Brevia tamen sub annulo piscatoris, id est, solius Petri obsignantur, nec aliter recipiuntur in Gallia. Ad 4. Respondet S. Th. *(Ad c. 1. Epist. ad Galat. Lect. 2.)*: Quia praesens vita signatur per sinistram, futura verò per dexteram, quia ista est caelestis, illa verò temporalis; idè Petrus, qui vocatus est a Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bula in sinistra parte: Paulus verò, qui vocatus fuit a Christo jam glorificato, ponitur in parte dextera. Respondet B. Petrus Damianus opusc. 53. c. 1. idè Pauli effigiem poni a dextris, quia erat de Tribu Benjamin; Benjamin enim hebraicè nuncupatur latine filius dexterae. Respondent alii, dexteram non esse semper locum honoratiorem in Ecclesia: nam in Concilio Chalced. Dioscorus mox deponendus sedebat ad dexteram, & Legati Pontificis ad sinistram; item

item de sinistro cornu altaris legitur Evangelium: item olim dum foemina in Ecclesia seorsim a viris orabant, collocabantur a dextris, & viri a sinistris. Undè videtur usum Ecclesiae in sacris ritibus obtinuisse, ut sinistra dextera praeretur, forte ad exprimentam conversionem Gentium, quae Judaeis dexteram tenentibus prelatæ sunt. Adde, quod in pictis, & sculptis imaginibus, id, quod est sinistrum, sit dexterum; & sinistrum sub diverso respectu; nam respectu imaginis est sinistrum, respectu insipientium est dexterum: & sic inde nihil erui potest.

## ARTICULUS II.

## De Sessione S. Petri Romæ.

Hanc questionem historicam hic propono, quia ab ea pendet Primatus Romani Pontificis, a S. Petro derivatus, art. seq. asserendum. Quidam itaque inter Calvinistas negant Petrum Romam venisse. Alii Romam venisse concedunt, sed negant fuisse Episcopum Romanum. Alii tandem dicunt, quod esset fuerit Episcopus Romanus, hanc Ecclesiam non rexit usque ad obitum, sed quod eam deseruerit, sicut Antiochenam; consequenter Romanum Pontificem non esse Petri Successorem in ejus Primatu. Pro faciliori intelligentia hujus questionis, & quarundam objectionum solutione, praefero chronologiam viri S. Petri. S. Petrus quatuor ferme annis a passione Christi mansit in Judæa. Anno quarto, qui fuit Tiberii ultimus, Antiochiam se contulit, ibique sedem erexit, ex chronico Eusebii, & Alexandrino. Septem annis mansit Antiochie Episcopus ex S. Gregorio l. 6. Ep. 37. ad Eulogium. Hinc profectus anno a passione Christi undecimo rediit Jerusalem, & illic ab Herode in vincula conjectus est diebus Azyrnorum. Inde paulo post ab Angelo liberatus eodem anno, qui art. Claudii secundus, Romam perrexit, ibique sedem constituit, in ævum mansurum. Septimo Romanæ sessionis anno, Claudii nono, passionis Christi 18. Roma discedere coactus est, edicto Imperatoris exitum adversus omnes Judæos decenteris. Eodem anno Jerosolymam venit, & ibi congregato Concilio interfuit. Claudio e. civis sublato Romam rediit, ibique passus est anno 14. & ultimo Neronis, sessionis Romanæ 25. His praemissis contra haereticos

Dico: S. Petrus Romam venit, ibique Ecclesiam fundavit, quam ad obitum usque rexit. Prob. 1. & 2. pars; 1. ex ipsis S. Petri epistola 1. c. 5. ubi dicit: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, & Marcus filius meus;* atque per Babylonem Romam intelligit: ergo. Prob. Min 1. ex Papia Apostolorum discipulo, qui apud Eusebium l. 2. Hist. c. 14. dicit: *quam quidem Epistolam ibi (Romæ) perscriptam ostendit, dum civitatem illam, verbi translatione, Babylonem appellat, inquit: Salutat vos Ecclesia nostræ electionis consors, quae est Babylone, & Marcus filius meus.* Et ex S. Hieron. qui in Catalogo Script. Ecclesiast. in Marc. dicit: Petrus in Epistola prima sub nomine Babylonis, figuratè Romam significans: Salutat, inquit, vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta. Quia nomine Babylonis in Epistola Petri intelligi non potest neque Babylon Assiriorum, siquidem teste Josepho l. 18. antiq. c. 12. omnes Judæi, qui erant in Babylone Assiriorum tempore Cati, fuerint expulsi, vel occisi. Neque Babylon Aegyptiorum, quae tunc erat locus obscurus, & quae a Strabone l. 17. vocatur Castellum. Restat ergo, quod intelligatur Roma; quae dicta est Babylon, seu confusio, quia, inquit S. Leo serm. 1. de Apostolis Petro & Paulo, *Cum omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus;* quamque idè S. Joannes in Apocalypsi passim designat sub nomine Babylonis. Idè autem, inquit Natalis Alexander, S. Petrus Romam proprio nomine non designavit, quia recenter e carcere Jerosolimitano fuga elapsus volebat locum suae commorationis esse omnibus notum, consultiusque volebat saluti Christianorum, qui Romæ debebant, ne si ejus Epistola in manus Gentilium incidisset, audito, quod essent Romæ multi Christiani, in eos persecutionem commovissent. Ceterum, dum S. Petrus, & S. Joannes nomine Babylonis Romam designant, non Ecclesiam intelligunt, sed urbem, quae, ut modo observavi, dicta est Babylon, quia tunc omnium gentium serviebat erroribus. Idè nihil inde inferre possunt Heterodoxi contra Ecclesiam Romanam.

Prob. 2. Juxta cap. ultim. Act. & Ep. ad Rom. cap. 1. multi erant Christiani Romæ, antequam Paulus eò veniret; dicit enim laudata Ep. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides Theol. Billuani. Secunda Secundæ.*

vestra annuntiat in universo mundo... Nolo autem vos ignorare fratres, quia saepe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc. a quo autem, nisi a Petro, hac multitudine praecipit fidei imbuta est? Er hoc testatur Euseb. l. 2. Hist. c. 13. dicens: Sub ipso Claudii imperio... Dei providentia... Apostolorum... principem Petrum Romam versus, ad ejusmodi pestiferam vite corruptelam delendam, quasi manu deduxit. Paulus Orosius l. 7. c. 4. Claudius, inquit, ab Augusto quartus, Regnum adeptus est, mansitque in eo annos 14. Exordio Regni ejus Petrus Apostolus Dominus nostri Jesu Christi Romam venit, & salutem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit... exinde Christiani Romæ esse coeperunt. S. Leo serm. de SS. Apostolis Petro & Paulo: Beatissimus Petrus, princeps Apostolici Ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelatur salutem efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. En infra: Ad hanc ergo urbem tu Beatissime Apostole Petre, venire non metuis, trophaeum crucis Christi Romanis arcibus inferens, quo te divinis praedicationibus antebat, & honor potestatis, & gloria passionis.

Confirmo: 1. S. Marcum Romæ scripsisse Evangelium, prohihi S. Petrum praedicantem audiverat, testatur Clemens Alexandr. in libr. Hypotyposes: Eusebius l. 2. Hist. c. 14. vel 15. secundum diversas Editiones: S. Hieron. in catalogo Script. Ecclesiast. in Marco. 2. Petrum Simonem Magum visisse, testatur Arnobius l. 2. Hegeppus l. de exilio Jerosol. cap. 3. S. Cyrillus Jerosolimit. Catech. 6. S. Hieron. in catal. Script. Ecclesiast. in Petro: S. Ambrosius in concione de Basilicis haereticis: S. Aug. libr. de haeribus c. 1. & alii.

Prob. 3. pars, & simul confirmatur duæ primæ partes, ex Eusebio in chronico ad ann. 44. *Petrus Apostolus, inquit, natione Galileus; Christianorum pontifex primus, cum primium Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium praedicans 25. annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Et ex Hieron. in catal. Script. Ecclesiast. in Petro: Simon Petrus, inquit, post Episcopatum Antiochenis Ecclesiae, & praedicationem dispersionis eorum, qui de Circumcisione crederant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia; secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit; usque ad ultimum annum Neronis, id est 14. quo anno Martyrio coronatus est.

2. S. Petrus certò Romæ Martyrium subiit: constat autem ex dictis, quod Romanam Ecclesiam fundaverit, ejusque Sedem tenuit, & nullibi legitur, quod post dimissam Sedem Antiochenam alibi, quam Romæ Sedem habuerit: ergo ad obitum usque Sedem Romanam tenuit. Prob. Ant. scilicet quod Romæ Martyrium subiit. Id testatur Tertull. Scorpiaci c. 14. *Vitas Caesarum legitimus, inquit, orientem fidem Romæ primus Nero cruciavit; tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur.* Item de praescript. c. 26. & alibi Hegeppus l. de exilio Jerosol. c. 1. dicit, *Petrum Romæ Crucis adjudicatum inversis vestigiis.* Euseb. l. 2. Hist. c. 24. dicit Petrum Romæ suffragium cruci: Hieron. in catal. Script. Ecclesiast. in Petro, postquam Petri crucifixionem a capite inverso reulit, subdit: *Sepultus Roma in Vaticano juxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur.* Similiter alii plures.

Prob. 3. Quotquot ex Patribus catalogum Romanorum Pontificum texerunt, originem successionis a S. Petro ducunt: sic Optatus Milevit. l. 2. contr. Parmen. *Cathedra unica est, inquit, quae est prima de doctibus... Sedet prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, &c. Julio Liberius, Liberio Damasus, Damasus Syrius, hodie qui noxter est socius, cum quo totus orbis commercio formatum in una communionis societate concordat.* Vestrae Cathedrae vos originem reddite, qui vultis vobis sanctam Ecclesiam vindicare. Similiter August. in Ep. ad Generosum 165. *Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c. Damasus Syrius, Siro Anastasius.* In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur. Item omnes Patres Sedem Romanam vocant Cathedram Petri, Successorem Petri, ut patet art. seq. ergo Petrus Romæ sedit, eamque Ecclesiam usque ad mortem rexit.

## Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Adventus Petri Romam pugnat cum Scripturis sacris: ergo. Prob. Ant. 1. Paulus, scribens ad Rom. cap. 16. jubet multos suo nomine salutari, Petri autem non



non memiait. 2. Quando Paulus Romam advenit, occurrerunt ei fratres Act. 28. nulla mentio Petri. 3. Ibid. Judaei rogant Paulum, ut dicat, quid sentiat de secta Christianorum: ergo nondum audierant Petrum predicantem. 4. S. Paulus, qui suam Jerosolymis, & Antiochie cum Petro conversationem refert Ep. ad Galat. 1. & 2. non indicat, se eum vidisse Romae. 5. S. Lucas, qui in Actibus Historiam Apostolorum conscripsit, nullibi refert professionem Petri Romam: ergo. R. I. generaliter argumenta negativa nullius esse ponderis, ubi adsunt positiva in contrarium, alias nutarent praecipua fidei nostrae mysteria: sic arguere liceret, Christum non fuisse circumcisum; quia circumcissionis non meminit Matthaeus: non fuisse praesentatum; quia de praesentatione silet Marcus: Stellam non apparuisse Magis; quia id non refert Lucas &c.

R. 2. ad singula. Ad 1. Epistola ad Romanos scripta fuit, dum Petrus adhuc exulabat Roma edicto Claudii, ex capite namque ultimo, ubi Apostolus nominat quosdam Corinthios, colligitur, scriptam fuisse Corinthi, dum illic pertransiret peregrinus Jerusalem, ubi erat adhuc Petrus, qui cum Paulo, & aliis adfuit Concilio, quod tunc celebratum est de observantia legalium. Et quamvis plures Christiani jam tunc Romam redissent, ut patet ex eodem c. 16. non sequitur, Petrum redisse: quia, cum esset auctor conversionis Judaeorum, propter quam latum fuerat edictum, non debebat suum in Urbem rediitum ita maturare. Insuper ex argumento nihil sequitur; nam Paulus scribens ad Ephesios non salutat Timotheum, scribens ad Hebraeos non salutat Jacobum, & tamen Timotheus erat Ephesiorum Episcopus, & Jacobus Hebraeorum. Ad 2. Non omnis Ecclesia Romana Paulo adveniendi obviam venit, sed quidam tantum aliorum nomine, cum tunc urgeret adhuc persecutio. Adde, quod forte tunc Roma aberat Petrus; non enim erat illic ita fixus, quin interdum in varias provincias secundum impulsu Spiritus S. proficisceretur, & inde Romam rediret, relicto in absentia sua Cleto, & Lino, Vicariis suis, ut testatur Epiphanius haeresi 27. Ad 3. N. Consequenter non enim rogant Paulum, ut eos de secta Christianorum doceret, siquidem cum prius ad ipsos scriberet, dicebat, *Fides vestra annuntiat in universo mundo*; sed cum scirent, ipsum in lege doctissimum, optabant ipsum audire disserterentem de Religione Christiana, & de ejus cum lege Mosaica concordia. Respondet Bellarminus, haec verba esse quorundam Judaeorum, qui nondum fidem susceperant. Ad 4. Non potuit Paulus in Ep. ad Galatas dicere, se Petrum vidisse Romae, cum tunc nondum illuc appulerat; scripta enim fuit Ep. ad Galatas ante Ep. ad Romanos, teste S. Chrysost. praefat. in Epist. ad Rom. Ad 5. Institutum Lucae in Actibus Apost. fuit praesentationem describere Acta Pauli. Unde non est mirum, si professionem Petri Romam non retulerit, maxime cum de ipso etiam Paulo multa omiserit, ut professionem Pauli Jerosolymam, ut videret Petrum, utriusque convictum Antiochie, iter Pauli in Galatiam, & alia. Non ergo omnia, quae vel Apostolus, vel etiam ipsum Paulum spectant, complexus est S. Lucas, ut observat S. Hieron. l. 1. in c. 2. ad Galat.

Inst. 1. S. Paulus in pluribus Epistolis Romae datis quaedam scribit de iis, qui erant Romae, quae Petro, si ibi sedisset, injuriosa forent: ergo. Prob. Ant. 1. ad Philipp. 2. dicit: *Omnes, quae sua sunt, quaerunt*. 2. Ad Coloss. ultimo: *Hi soli (scilicet Aristarchus, Marcus, & Justus, quos prius nominaverat) sunt adiutores mei in Regno Dei*. 3. 2. ad Tim. 4. *In prima mei defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt*: ergo. R. N. Ant. ad 1. probationem: Paulus ibi loquitur tantum de illis, quos ad Philippenses mittere poterat, ut patet ex textu, de quorum numero non erat Petrus ipsi superior. Ad 2. loquitur ibi Paulus de suis domesticis, qui ipsi ministrare solebant. Ad 3. loquitur de iis, qui causam ejus apud Caesarem juvare poterant, de quorum numero non erat Petrus, quae ac Paulus, Caesari invidus. Adde, *Tō Omnes* apud Paulum saepe significare multos.

Inst. 2. Dissentiunt Auctores in Epocha adventus Petri Romam. Alii enim dicunt, advenisse initio Claudii, alii anno secundo, alii anno quarto, alii decimo quarto, alii imperante Nerone; atque dissensus Auctorum in referenda Historia est magnum ejus falsitatis indicium: ergo. R. D. Min. Dissensus Auctorum in referenda Historia quoad substantiam est ejus falsitatis indicium, C. in referenda historia quoad circumstantias, N. Sic nihil certius est inter Christianos Christi morte, nihil incertius tempore, quo mortem subit. Tertullianus cum quibusdam tenet, mortuum esse anno Tiberii 15. aetatis suae 30. Eusebius, & alii 22-

no Tiberii 18. aetatis 33. S. Irenaeus aetatis 50. Recentiores plerique anno 34. Quidam anno 37. Similiter ergo, esto, quod est dissensus Auctorum circa Epocham adventus Petri Romam, conveniunt tamen omnes quoad ipsum adventum, & sic non est in eo falsitatis indicium: Communiter tamen opinio tenet, advenisse secundo anno Claudii; nec dissentiant, qui dicunt initio Claudii, quia duo anni respectivè ad 13. & amplius, quibus regnavit Claudius possunt dici ejus Regni initium.

Inst. contra hanc Epocham. S. Petrus non venit Romam anno secundo Claudii: ergo. Prob. Ant. 1. S. Petrus erat adhuc Jerosolymis, quando Paulus venit, ut ipsum videret anno a conversione tertio, qui erat textus a passione Christi (conversus est enim anno tertio a passione Christi), & quando iterum venit deferens collectas ad sublevandam famem, quam vaticinatus fuerat Agabus, & quae contigit sub Claudio, Act. 12. Insuper S. Gregorius tradit, S. Petrum 7. annis fuisse Antiochie, inter has duas Pauli professiones. Fuit etiam pluribus annis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bythynia; nec enim uno mense, vel anno in tot locis potuit praedicare: ergo non potuit venire Romam anno secundo Claudii, qui erat 11. a passione Christi, siquidem juxta chronologiam assignatam effluisset jam plusquam tredecim. 2. Petrus anno secundo Claudii erat Jerosolymis in vinculis jussu Herodis; nec inde evasit, nisi anno sequenti: ergo non venit Romam anno secundo Claudii. 3. Petrus adfuit Concilio Jerosolymitano, anno saltem a passione Christi 18. ergo idem, quod ante. 4. Denique refert Eusebius ex Thrasea martyre, Christum mandasse Apostolis, ne ex Jerusalem ante annos 12. recederent; annus autem iste duodecimus incidit in annum tertium Claudii: ergo. R. haec omnia coherere, si, quae mendose obijciuntur, corrigantur, & attendatur ad Chronologiam vitae S. Petri, quem initio articuli posuimus. In primis Calvinus falso refert conversionem Pauli ad annum tertium a Passione Christi; contigit enim anno primo, ut tradit S. Th. in c. 2. Galat. Lect. 1. & docent Scriptores Ecclesiastici. Petrus itaque a Passione Christi ut jam observavimus, mansit Jerosolymis annis quatuor circiter, quo tempore potuit eum illic videre Paulus anno a Conversione tertio. Deinde Petrus mansit Antiochie annis 7. non quasi ibi alligatus, sed eo temporis intervallo Pontum, Asiam, Bythyniam, Galatiam, Cappadociam, &c. peragrans. Septimo autem anno nondum completo, rediit Jerusalem, ubi ab Herode coniectus est in vincula eodem anno contigit famem, praedicta ab Agabo, ut colligitur ex Act. 11. & ex Dione l. 6. qui illum refert ad ann. 795. ab urbe condita, qui erat annus undecimus a Passione Christi, & secundus Claudii; sique Paulus ascendens tunc Jerosolymam ad deferendas collectas potuit illic videre Petrum. Liberatus autem fuit Petrus, non anno sequenti, ut dicit instantia, neque hoc innuitur Act. 12. sed eodem anno, quo & Romam perrexit, scilicet undecimo a Passione Christi, & secundo Claudii. Deinde septimo sessionis Romae anno, Claudii nono, hujus Imperatoris Edicto pulsus, venit Jerusalem, ibique Concilio de observantia legalium adfuit anno a Passione Christi 18.

Quod autem opponitur ex Thrasea apud Eusebium, de mandato Christi facti Apostolis, ne ante 12. annos discederent Jerosolymis, supposita veritate relationis Eusebii, istud mandatum intelligitur de quibusdam, non de omnibus; certum est enim ex Act. 8. 9. & 10. Petrum Samaritanam, Lydam, Joppem, & Caesarem peragrare, imò & sedisse Antiochie pluribus annis, antequam conijceretur in vincula, consequenter ante annum 12.

Si opponas, in Chronico Eusebii legi, Petrum sedisse Antiochie annis 25. R. esse errorem Typographi, qui pro quinque posuit 25. quamvis enim dicamus sedisse 7. annis, intelligimus quinque completos, & duos inchoatos, vel totum numerum ex integro esse additum; quia in pluribus Manuscriptis Eusebii in Bibliotheca Vaticana asservatis, & in editione Graeco-Latina Scaligeri, haec epocha non reperitur.

Inst. 4. Josephus, qui vixit tempore Neronis, & Romae suam historiam scripsit, non meminit Martyrii S. Petri, cum tamen esset Christianorum amicus. Item S. Clemens scribens ad Corinthios, & loquens de martyrio SS. Petri, & Pauli non dicit, eos Romae passos fuisse. Item S. Augustinus fabulis accenset certamen Petri Romae cum Simone Mago: ergo. R. ad 1. Josephum id tacuisse; quia ut ipse dicit l. 2. cap. 11. voluit praeterire scelera Neronis, ne historia sua displiceret Imperatoribus, quibus eam dicebat. Ad 2. 1. Intantum Clementis id non exigebat; dis-

sebat enim de invidia, cui erant obnoxii Corinthii, & ut probet, quanta mala inciteret, adfert exemplum Martyrii SS. Petri & Pauli: notare autem locum passionis non pertinebat ad invidiam. 2. Id tunc satis notum erat Christianis, ideoque inutile fuisset illud notare. Adde, quod neque Josephus, neque Clemens dicant passum esse Jerosolymis, quod tamen asserunt adversarii. Ad 3. S. Augustinus non negat hanc historiam; sed negat, quod consuetudo jejunandi Sabbathis Romae originem traxerit ex jejunio, quod S. Petrus praemisit certamini cum Simone Mago; patet ex Textu.

Obj. 2. Estò Petrus Romam venerit, eam tamen Ecclesiam non fundavit: ergo. Prob. Ant. sub Tiberio, qui fuit praedecessor Claudii, sub quo dicimus, Petrum venisse Romam, erant jam ibi Christiani: ergo. Prob. Ant. ex Orosio, qui libr. 7. cap. 4. refert Senatam, regnante Tiberio, edicto constituisse, *exterminandos Urbe Christianos*: ergo. R. N. Ant. ad prob. Istud edictum, quod refert Orosius, spectabat dumtaxat Christianos, quos negotiorum suorum causa Romam adventare, contingerat; nullus enim tunc Romae morari, testatur ipse Orosius eodem c. 4.

Inst. 1. 1. Recognitionum S. Clementis legitur, Barnabam tempore Tiberii Christum Romae praedicasse: ergo. R. Libros Recognitionum, qui sub nomine S. Clementis circumferuntur, esse apocryphos & nullius ponderis. Aliunde constat, quod, antequam Petrus coelesti visione admonitus fuisset Act. 10. de Fide gentibus praedicanda, nullus Apostolorum id numeris obire ausus fuerit: ex quo autem tempore Barnabas Paulo individuum comes adhesit, saltem usque ad Concilium Jerosolymitanum, quod anno Claudii 9. contigit.

ARTICULUS III.

De Primata Romani Pontificis.

Lutherani & Calvinistae, a Romana Sede proscripti, tanto furore in Primatum Romani Pontificis debacchati sunt, ut eorum nonnulli ipsum Antichristum appellare non erubuerint.

Dico: (Opusc. 1. contr. errores Graec. c. 65. & seqq.) Romanus Pontifex habet Primatum auctoritatis in universam Ecclesiam. Est de fide. Prob. 1. ex duobus articulis praeced. Tota auctoritas Petri qua Pastoris, & Rectoris totius Ecclesiae, quae fuit suprema, transmissa est in ejus successorem; atque Romanus Pontifex est successor Petri: ergo. Maj. constat, quia cum Christus Ecclesiam fundaverit in Aeternum duraturam, debuit in ea formam regiminis perpetuum instituire, quae moriente Petro non cessaret, sed ad ejus successores transiret. Min. etiam constat ex art. praeced. Petrus enim, ut probatum est, sedit Romae, eam Ecclesiam fundavit, atque ad mortem usque rexit: ergo Romanus Pontifex est Petri successor. Id patet testantur Concilia, & Patres mox citandi. Unde quicumque probant Primatum Petri, probant simul Primatum Romani Pontificis, Require art. 2.

Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Sardicense ann. 347. in Ep. synodica ad Julium Papam. *Hoc optimum, inquit, & valde congruentissimum videbitur, si ad caput, id est, Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis referantur Domini Sacerdotes.* In Conc. Ephesino ann. 431. act. 1. Patres in Nestorium sic pronuntiant: *Contra per sacros Canones & Epistolam sanctissimi patris nostri comministri Coelestini, Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusis, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.* Ubi Patres faterentur, se cogi per Pontificem: ergo agnoscunt in eo specialem auctoritatem. Ibid. act. 3. Philippus Presbyter Apostolicae Sedis Legatus, nullo reclamante, dixit: *Nulli dubium, imò saeculis omnibus notum est, quod sanctus Beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps & caput, fideique columna & Ecclesiae Catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis, ac Redemptore, claves Regni accepit, solvendique, ac ligandi peccata potestas ipsi data est, quae ad hoc usque tempus & semper in suis Successoribus vivit & judicium exercet.* In Concilio Chalced. ann. 451. Paschasius unus ex Legatis Summi Pontificis initio dixit: *Beatissimi atque Apostolici Viri Papae urbis Romae, quae est caput omnium Ecclesiarum, praeccepta habemus per manus, quibus praecipere dignatus est ejus Apostolus, ut Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedet in Concilio, sed audiendus intronitatur.* Hoc nos observare necesse est... aut ille egrediatur, aut nos eximus... Lucentius Vicarius Sedis Apostolicae dixit: *Judicii sui necesse est eum (Diosco-*

rum) dare rationem, quia cum, personam iudicandi non haberet, praesumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam factum est. Actione 2. postquam lecta fuit S. Leonis Epistola: Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Hae Patrum fides: Reverendissimorum fides: Omnes ita credimus: Orthodoxi ita credunt.* Anathema ei, qui non ita credit: **PETRUS PER LEONEM ITA LOCUTUS EST**, Apostoli ita docuerunt. Actione 16. Gloriosissimi Judices dixerunt: *Ex his, quae gesta sunt, & ab unoquoque deposita, perpenderit, omnem quidem primatum & honorem praecipuum secundum Canones antiquae Romae Dei amatissimo Archiepiscopo conservari.* Tandem Patres Chalcedonenses S. Leonem rogant, ut suo consensu confirmare dignetur, quae statuerunt: *Rogamus igitur, inquit, in Relatione Synodi ad eundem S. Leonem, & suis decretis nostrum honora judicium, & sicut nos Capiti in bonis adjectimus consonantiam, sic & summitas tua filii, quod decet, adimpleat.* In Concilio 6. Generali Constantinop. III. ann. 680. Patres in Literis Synodicalibus ad Agathonem, quae extant post act. 18. sic Romanum Pontificem alloquuntur: *Maximi morbi majoribus indigent auxiliis; atque idcirco Christus verè Deus noster sapientem dedit Medicum, vestram a Deo honoratam sanctitatem, contagia haereticæ luis fortius propulsantem, ac valetudinis robus membris Ecclesiae largientem. Itaque tibi, ut primae Sedis Antistiti universalis Ecclesiae, quid gerendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram. Libenter perfectis vestrae confessionis literis, a vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divinè praescriptas agnoscamus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulimus... Haereticorum nefariam Doctrinam... anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras Litteras de iis prius lata. Et infra: Orthodoxae fidei splendidam lucem vobiscum clarè praedicavimus: quam ut iterum per honorabilia vestra scripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem. Concilium Constantiense ann. 1419. damnat hanc Wiclefi sententiam: *Quod Papa sit summus Pontifex, est ridiculum. Et Christus nec in Petro, nec in alio talei approbavit dignitatem. Item hunc articulum 10. Joannis Hus: Nec Romanus Pontifex est caput Ecclesiae: Et hunc 27. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput, in spiritualibus regens Ecclesiam. Unde Martinus V. in Bulla contra praefatos Haereticos jubet interrogari suspectum: Utrum credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit Successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.* Concilium Florent. ann. 1439. ubi in pluribus collationibus ventilata fuit inter Orientales & Occidentales quaestio de primatu Romani Pontificis, quem a schismate Photii negabant Orientales, tandem communi utriusque partis consensu sic definit in Decreto Unionis: *Definimus, S. Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem Successorem esse B. Petri principis Apostolorum & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput & omnium Christianorum patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascenti, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Concilium Trid. sess. 14. c. 7. Merito, inquit, Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviore suo potuerunt peculiari judicio reservare.**

Prob. 3. ex SS. Patribus. S. Irenaeus l. 3. adversus haeres. c. 3. dicit: *Ad hanc enim Ecclesiam (Romanam) propèter potentiorum principatum necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Idem apud Euseb. l. 2. Hist. c. 24. ad hortatorem Victorem Papam, ne Asiaticos Episcopos ob contraversionem de Paschate a Communionem suspendat: consequenter agnoscit in ipso supremam potestatem. Tertullianus l. adversus Praxeam initio scribit, Romanum Pontificem revocasse Litteras communicationis, quae Ecclesiae Phrygiae dederat pro Montanistis ab Episcopis Phrygiae damnatis, & Montanum suadente Praxea damnasse. Et in libr. de pudicitia, quamvis in haeresim tunc lapsus vocat Romanum Pontificem, *Pontificem maximum, & Episcopum Episcoporum*: & licet forte id dicat irridendo, loquitur tamen secundum morem hujus temporis. S. Stephanus Papa S. Cypriano, Firmiliano, & aliis Orientalibus contra rebaptizationem restitit, intentantis censurarum minis. Quod fecit, inquit, Vincentius Lirin. in comment. 1. adversus haereses c. 5. *Dignum... existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat.* S. Cyprianus ipse Ecclesiam Ro-